# Commentatio I. in D. Jun. Juvenalis Satiras

Karl Friedrich Heinrich





Si qua est Philologia, si qua sunt antiquarum literarum studia, quae in se materiam habeant et colendae humanitatis et acuendi multis modis ingenii, ea nec omnino fingi informarique recte possunt, neque tanto, quanto debeant, cum fructu tractari, nisi in praesidiis, unde haec universa disciplina pendet, quam plurimum curae et industriae consumatur. Atque haec quidem praesidia, scilicet digerendae elaborandaeque infinitae silvae rerum, quam tot servata e multiplici genere monumenta complectuntur, in duabus inprimis artibus cerni existimandum est, quarum altera Critica est, altera Hermeneutica: quarum utraque cum summa invicem cognatione tenetur, tum vero etiam tantum habet vel dignitatis vel potestatis, ut, quae illarum sit expers, tanquam deiecta de fundamento ac solo suo, Philologia ne dici quidem aut ferri posse, atque in vanum abire disciplinae simulacrum videatur.

Neque tamen magis seu crisis idonea seu vera interpretatio, sive in Theologia sive in Iurisprudentia sive in alio quovis literarum genere, reperiatur, nisi quae ad maximam rerum varietatem accommodata ac versata in amplissimo spatio studiorum, robur sibi atque vires e Philologia petiverit: quibus illa demum probe instructa et adeo e ditissimo fundo locupletata, facilem felicemque operam praestare in omni disciplina potest. Constat enim, plurimarum disciplinarum eam esse rationem et conditionem, ut potissimum in priorum temporum doctrina nitantur, quam ut accurate cognoscere possis, et cognitam collocare prudenter, minime sola efficit historia, quam ipsam, ad eruendum difficillimam, neque tractare recte, neque investigare tuto licet, nisi vera expli-

eatio cum rerum tum verborum adhibeatur, atque assumatur in societatem crisis, nempe illa indefessa exercitatione subacta et exculta vis iudicandi, atque multo valentior ad omnes studiorum effectus, et vero etiam multo magis ad legitimae artis formam ac severitatem accedens, quam vulgo putant, qui crudas populi opiniones sequuntur, aut immensum ingeniosissimae artis ambitum exigua regula certae alicuius doctrinae metiuntur.

Sed haec, a principiis ducta, persequi, atque, quantum intra latissimos fines literarum Critica valeat, quanta cum vi in gravissimis disciplinis dominetur, qualem et in se ipsa ars habeat praestantiam, ostendere, nunc non est nostri instituti. Illud tamen, cui explicando vix unum grande volumen sufficiat, verbo duntaxat visum est significare, ut sic fere intelligeretur, quo iam nos usi simus consilio, quum anniversario officio rursus ad scribendum adducti essemus. Nam quum superiore anno, quando primum ad isthoc munus accedebamus, quaestionem ex eo genere sumtam proposuissemus, quod ipsum maximam haud dubie cum humanioribus literis cognationem habet, quodque, quoniam plurimum in disponenda confusa rerum abstrusarum farragine occupatur, et ipsum, nisi severae Critices praesidio tutum, undique vel arrogantiae semidoctorum vel adeo doctorum somniis ludibriisque patet; etsi indidem novam materiam commentandi petere proclive fuisset: tamen, ne quid minus apte ad tempus vel ad locum facere videremur, etiam hoc, quidquid est officii nostri, magis ad docendi utilitatem, quam ad cognoscendi aliquam voluptatem putavimus conferendum, quum vel haec nobis imposita persona postulare videatur, ut exsoletam severioris institutionis memoriam per has quoque scribendi opportunitates quodammodo tueamur, atque, si fieri modo possit, incorruptos adolescentes ad gustandos

uberrimos studiorum fontes alliciamus, in quibus non solum inest vis maxima exercendi et corroborandi ingenii, sed praesentissimum etiam remedium aut pellendi veterni, si quem tumor scholasticus attulit, qui comes esse solet ineptissimae illius ac famosae in scholis πολυπραγμοσύνης, aut curandae vertiginis, qua facile eos dicunt corripi, qui largiore haustu recentem sapientiam imbiberint.

Veniamus statim ad praesentem disputationem, quoniam id procul a nobis habemus, ut quasi Satiras ipsi faciamus, atque hoc unum nunc nostrum est, commentari in Satiras Romani scriptoris, in quibus multo magis perversitas remotissimorum temporum castigatur: ad quas scilicet subseciva aliqua studia dirigere indeque argumenta, quae per libellos publico nomine edendos explicentur, delibare, propterea placitum est, quod, quum ob miram seculi socordiam Graecae literae fere ignorentur, Latinarum saltem quaedam umbra remansisse videtur, inprimisque apud nos ipsius Iuvenalis non nulla aestimatio valet propter operam honestam literatissimi Collegae *), qui, quam ipse aliquando in praeclara Saxonum disciplina, cui adolescens traditus fuit, saluberrimam severitatem studiorum tenaciter arripuerat, eandem cum popularibus nunquam non studuit communicare, atque per multos annos novam insignibus meritis laudem adiecit, aliquot veterum scriptorum, in his maxime Iuvenalis, elegantiam ac virtutes literatis iuvenibus aperiendo. Cuius quum nunc ego quasi succedere in locum sustineam, saltem sperare, si quid omnino sperandum est, licet, fore, ut pronuntiatum nomen scriptoris, qui tantam apud nos ab

*) Scilicet is est *Andr. Guil. Cramer*, ICtus, h. t. Academiae Prorector, quem nominare apud nostrates non opus est, nobis quidem honoris causa nominandus.

aliena auctoritate commendationem habet, aliquam fere audientiam his commentationibus faciat.

Iuvenalis Satirae, quas diximus, supersunt ex illo genere carminum, quod, si quidem formae certam ac singularem descriptionem spectes, Graecis sane intactum totumque Romanorum fuisse, credendum est utique referentibus Horatio et Quintiliano: qua de re, operosis multis multorum disputationibus nobilitata, quum et omnino satis dictum sit, et nuper etiam vernacula oratione populariter expositum videamus, haud amplius dicendum putamus. Licet autem in his unum mirari, quod, quum Lucilium omnes testes conclament archaeae Comoediae charactere Satiram composuisse, plane sequutum et imitatum, qui in illa principes fuissent, poetas, quod igitur nemo adhuc iustam rationem desiderarit, cur in eo gradu Romanarum literarum, in quo ex Graecorum imitatione cuncta pendebant et nemo facile poeta proclivis esse ad novas formas inveniendas poterat, Lucilius tamen non maluerit fabulas palliatas scribere, quam Satiras novo modo componere. Nam id ipsum eum propter novitatem rei indeque capiendam gratiam populi Romani facere maluisse, credi non debere videtur illo tempore, quo omnia fere in poesi Romanis nova erant, et quidquid a melioribus ingeniis tentari coepisset, ut maxime ad Graeca exempla accederet, ita maxime in commune probari debebat. Neque vero magis ad veritatem dictum est, quod de causa, cur Lucilius a Comoedia deflexerit atque carmen coeperit »novo more« conscribere, excogitavit Grammaticus iste in fronte editionum Terentii (pag. LV. Westerhov.). Quid enim? si invidiosa Comoedia apud potentes fuerit, ac propter hoc totum genus a poetis desertum: an paulo minus offensos istos fuisse putes hoc novo genere Satirarum, quod, plane ad exemplum priscae Comoediae,

nobilem quemque ac potentem nominatim ac summa cum licentia notabat? Quin tum ne offensio quidem ulla fuit, in illa effreni libertate, quum nihil referret, acerbis dictis ignosceret Mucius, an non? atque hoc unum quisque curabat: »Caedimus, et totidem plagis consumimus hostem.« Conf. nobilissimos versus Iuvenalis Sat. I, 151 seqq. Sed pervertit omnino ille, quem dixi, Grammaticus historiam, id, quod factum Athenis legerat, imperite ad Romanos traducens. Nempe si vera literarum conditio, qualis tum apud Romanos fuerit, penitius exquiritur, occurrunt forsan alia momenta causarum, cur, etsi vel maxime Graecorum novae Comoediae dramata ad Romanorum scenam admota placebant, atque propterea multorum poetarum studia certatim accendebantur, priscam tamen Atticorum in archaea Comoedia impunitatem Latina ingenia parum vel capere debuerint, vel sapere, cunctaque illius generis argumenta extra scenae cancellos ad diversam artis formam atque ad solam et recitationem et auditionem vocari.

Illuc, inter alios post Lucilium, eximio inprimis cum successu, vim omnem et impetum ingenii, longe illius praestantissimi, convertit Iuvenalis, pessimeque corruptam aetatem cum stricto velut ense exagitavit, tum insigniter etiam illustravit, productis ad audiendum pluribus Satirarum voluminibus, scilicet per diversas vices acroasis: quod quidem coniectari probabiliter potest, primum ex antiquo more ac modo recitandi, deinde ex illa, quae vulgo in Codicibus reperitur, quinque librorum distincta notatione, quam haud ita minime spernendam putamus, ut non nisi ultimae aetatis Grammaticorum habenda videatur. Quid? quod eiusdem rei fere historica significatio latet in Vita, Suetonio tribui solita: quo digitum obiter intendisse, nunc quidem sit satis; ne curiosos forte lectores suae ipsorum sagacitatis fructu defrau-

demus. Possunt et alia nonnulla vestigia ostendi, unde, qualem dignationem, qualem auctoritatem per varias aetates variosque iudiciorum motus fuerint consequutae hae Satirae, non nimis obscure intelligere liceat: utpote parum hac ex parte effectum est adhuc, non solum in Iuvenale, sed in plerisque scriptoribus antiquis, qui in honore et olim potissimum habiti sunt et etiamnum habentur: neque enim hoc caput, in multis locupletissimum, in paucis auctoribus prorsus inane, expletur carptim enotandis vel aliunde, ut fit, describendis vulgaribus Testimoniis de Auctore. Conf. Wyttenbach. Praefat. ad Plutarchum Cap. III. init. Imo vero, quod ad Iuvenalem attinet, plura restant hoc nomine perquirenda, quae in illa congerie locorum indigne iam pridem delituerunt: velut relatum ab Ammiano Marcellino XXVIII, 4. p. 409. Gronov. de suae aetatis gustu, his scilicet verbis: »Quidam detestantes ut venena doctrinas, *Iuvenalem* et Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes: quam ob causam, non indicioli est nostri.« Sermo est de infamia ac desidia Senatorum et nobilium; memorabilis admodum in hoc loco mentio Iuvenalis, neque facilis expeditu, si, non contentus simpliciter accepta narratione, philosophando, ut par est, rationesque sciscitando ipsam rem aggrediare. Sunt porro alia, plane adhuc neglecta et praetermissa gregalium editorum incuria: ut, quae testimoniorum instar crebra vestigia apud multos posteriorum seculorum scriptores, Macrobium, S. Hieronymum, Apollinarem Sidonium, alios, inveniri possunt, ex quibus appareat, monumenta ingenii Iuvenalis per has medias aetates elegantioris quoque iudicii hominibus cara fuisse, eaque et cupide lectitata et frequenter imitatione expressa. Inter quos insignis est maxime Sidonius, qui studiosissime hortulos suos Iuvenalis fontibus irrigavit, diligentissimeque flosculos sententia-

rum ac dictionum ex eodem scriptore legit, quem quotidiana ipsi lectione et usu frequentatum fuisse, propterea facile intelligas. Cuius generis multa cum reperire est promtum, si quis a Iuvenalis Satiris recens ad Sidonium accesserit, tum et sunt reperta observataque passim diligentia Savaronis ac Sirmondi, per commentarios bonae frugis plenissimos. Est in his utilis quoque materia, quae ad illustrandum poetam nonnihil lucri et adiumenti conferat: quale exemplum insigne habemus, editum ab Is. Casaubono in Comment. ad Sueton. Domit. cap. 4. Vol. IV. p. 272. nuperae edit. Lipsicae. Quin alio ex genere dabimus ipsi exemplum, adeo lectionis depravatae apud Iuvenalem, in loco praeclaro, vel emendandae ex eodem Sidonio, vel aliunde factae emendationis hinc confirmandae. Sed hoc dabitur in posterum suo loco: sin aliquis interea nobis praeripiat, inventum suopte acumine, leve hoc detrimentum gloriolae aequo animo ferendum est.

Istae autem fuerunt aetates, in quibus sancta veterum operum integritas nondum commissa monachorum stupori esset, et descripta a vervecibus volumina nondum, in coenum lapsa coenobiorum, omnibus partibus mutilata et corrupta iacerent. Contra vero exstant apud ipsum Sidonium documenta summae religionis ac diligentiae, quam librorum exemplaribus ad optima antigrapha exigendis emendandisque tribuere doctissimi homines solebant, ut nemo fere librum, quem exscribi curasset, e manibus dimitteret, nisi quem sciret religiosissime emendatum prodire. Vide Sidon. VIII. Epist. 3. cum egregia observatione Sirmondi, p. 81. Quid multa? quum, cedentibus paulatim spissis tenebris mediae barbariae, quoddam literarum desiderium rursus emergens depressos longo torpore animos aliquantum erigere coepisset, mox aetas est insequuta, in qua auctorum Latinorum, inprimisque

Iuvenalis nostri, exemplaria multa acervatim frequentabantur: quae quidem aetas, recens sane nec nimis longo intervallo praegressa typographiae initia, ingentem peperit multitudinem Codicum, qui hodieque per Europam in thesauris bibliothecarum servantur, horrenda segete vitiorum, quibus referti sunt, testantes ipsi temporum inscitiam et socordiam librariorum opificum.

At haec fuit communis fortuna plerorumque auctorum. Illud proprium fere est et peculiare infortunium Iuvenalis, quod, expertus ille quavis post renatas literas aetate multorum immatura studia, cupidissimeque tum vulgo lectitatus tum per varias editionum sectas propagatus, neminem unum ad hunc usque diem invenerit, cuius ea sive facultas fuisset sive voluntas, ut abunde satisfaceret Criticae vel literariae, quae ad aestimanda diiudicandaque subsidia constituendae lectionis iustaeque recensionis faciendae quasi est omnium consiliorum princeps et regina, atque eo maior ac potior habenda in scriptore, cuius tanta undique Codicum multitudo iactatur. Nempe hoc per omnes Iuvenalis editiones, numero profecto sat graves, non modo valde est molestum, sed egregie etiam ineptum, quod passim bene multae lectiones feruntur e libris plane ignotis, quos certe sibi notos esse, nemo existimare potest, qui hoc solum accepit, libros istos aliquando in manibus fuisse Pulmanni vel Schurzfleischii, praetereaque scit nihil, unde certa eorum aestimatio fiat; deinde, quod in hac obscuritate historiae multorum librorum, satis absurde unus Codex saepe haud dubie bis, ter quaterve annumeratur, quasi diversi libri essent, qui temporis successu in diversas manus migraverant; denique, quod tam longo tractu magna Codicum nomina pronuntiantur, de quibus si interroges, qualem unus et alter testimonii in constituenda lectione auctoritatem habere possit,

quantum omnino conferant plerique ad iudicium de fide ac veritate lectionum facienda, quum nemo tot librorum classes vel ordines distinguere instituerit, neque est, qui possit respondere. Quamobrem haud sane facile est assequi, quid cogitaverit vir bonus ille, qui nuper Iuvenalis Satiras »ad optimorum exemplarium *fidem* recensitas« se edere, statim in fronte voluminum professus est; quod si vel maxime praestare ab ingenio potuisset, propter crudam notitiam librorum nec potuit praestare, nec praestitit. Sed videtur ille loquutus esse pro more seculi; quemadmodum fecit in hac tota Iuvenalis apparatione; in qua nihil est plane tolerabili cum iudicio exactum, paucissimaque reperiuntur, propter quae istam novissimam utramque editionem nolim excuti manibus incorruptae ac sanae mentis iuvenum, si fere hoc uti velint studiorum duce et auctore.

At vero omnino vana est ac praestigiarum instar omnis multorum Codicum MStorum gloriatio, nisi uno saltem exemplo docueris, quid lucri inde faciendum sit ad Criticam seu literariam seu emendatricem. Quin, si membranarum numerus agitur ac multitudo, mirari sane licet istam negligentiam et incuriam, quae scilicet non maluerit, pro quadraginta Codicibus, eorum saltem centenarium numerum conquirere, utpote qui facile comparari potuisset, novis undique subsidiis affluentibus *). Quanquam in ista

*) Ne cui hoc fidem excedere videatur, vel minus serio sermone dictum, curatum voluimus subiecta brevi commemoratione aliquot Iuvenalis Codicum, quorum vel usum vel notitiam nos forte nacti sumus, quum aut fuerint hucusque ignoti plerumque, aut ab editoribus non adhibiti. Igitur primum cl. Gurlittus, decus Hamburgensis Reip., in Prolusione Bergensi a. 1801. Iuvenalis bene multos Codd. designavit, ex quibus vulgata variantium erro-

etiam accumulata adhuc farragine nonnulla possunt, nisi conclamata vulnera in pulcro corpore persanari, sed dignosci tamen vestigia criticae Satirarum historiae per illa tempora, in quibus plerumque literarum historia obmutescit, alias vehementer interdum sua loquacitate molesta, quando ad impressos libros perducta est. Quo de genere, quoniam hoc non solis digitis administratur, haud alienum erit, pauca quaedam commemorare specimina.

rum multitudo largiter aliquando locupletabitur. Conf. Commentar. Soc. phil. Lips. Vol. II. p. 314. Tunc adiiciendi sunt *sex* Codd. Bibliothecae publicae Rehdigeriae Breslaviensis. Sed hic numerus exiguus est. Plus voluptatis sonat alius numerus, quem Parisiis inclita Bibliotheca Nationalis offert, ubi haud minus *septem et viginti* Iuvenalis Codd. exstant, quorum indicem accurate confectum ac nuper admodum huc transmissum in promtu habemus. Quo ex numero salivam inprimis movebunt sex libri, reliquis omnibus vetustiores, assignati scilicet seculo decimo: num. 7900. 7906. 7984. 8070. 8071. 2029 (translatus ille e Bibliotheca Alexandrina sive Reginae Sueciae Roma.) Quibus accedit sec. undecimi liber, n. 8072. Ipsis nobis, haec dum agebantur, impertitus est fructus *sex* Iuvenalis Codd. Hafniensium, benevolentia Collegae, quem supra significavimus, honoratissimi, qui repertas in illis varietates abhinc multis annis sedulo enotaverat. Horum videlicet quinque sunt Regii, unus Moldenhaweri, Viri Amplissimi, cuius ea liberalitas clara est, quam ad literas iuvandas conferre solet. Excerpta inde, quum ad liberos usus accepissemus, interea nos ita adhibuimus, ut, cuiusmodi nostrum de his copiis qualecunque iudicium sit, hinc intellectum iri confidamus. Ceterum sic existimo, bene etiamnum de Iuvenale meriturum, qui e Codd. spectatae vetustatis novos varietatum acervos protulerit.

Primum, si potiores in diversis locis corruptelas consideres, secure propagatas eas stupiditate librariorum, inscienter scribentium, facillimum est ad videndum, tales locorum depravationes, in quas omnes omnino libri consentiunt, iam pridem factas esse tum, quum diu intercidissent exempla accuratius scripta, ad quae scilicet tolli emendarique vitiorum foeditas potuisset. Nimirum propter eiusmodi loca, qualia sunt, verbi causa, VI, 63-66. et ibidem 191-99., optabile hoc est inprimis, ut plures etiam, quam factum est usque adhuc, Codices adhibeantur, praesertim ii, qui maiorem antiquitatis famam habent, si forte in illis aut ipsae lectiones archetypae aut saltem utiles archetyparum notae inveniantur.

Sed mature a sincera auctoris manu ad vitiosas scripturas coepisse exemplaria desciscere, neque nova ubique errata, in quae incidas, existimanda esse, hoc, velut specimine, cognoscitur, quod statim primae Satirae v. 169. apud Priscianum, sexti seculi Grammaticum, ex eo libro, quem ipse usurpaverat, commemorantur verba, prava inquinata lectione, *anime.* Scilicet minus mirandum est, quod locus absurde scriptus devorari a Grammatico potuerit, quum ne Critici quidem unquam, iique sagacissimi defuerint, qui absurda et libenter amplecterentur et strenue defenderent.

Deinde vero, comparato textu Satirarum cum vulgaribus Codicibus, alterum hoc non potest non intelligi, quum recentes tantum Codices innotuerint, ne exceptis quidem, quorum saepe vetustas praedicatur, iam aliquanto ante, ipso consilio ac voluntate interpolandi, diversis in locis diversi generis mutationes invaluisse; primum, quum aut dilacerarentur, contractis vel ex-

punctis versibus, loca ista, ubi temperanda lasciviore Satirae licentia consulendum verecundiae videretur, aut vero eandem ob causam in singulis verbis vel dictionibus aliquid novaretur; deinde, quum passim languidiores sententiolae fortissime cuncta enuntianti poetae obtruderentur. Quanquam propter hoc genus forsan magis est accusanda inscitia, quae, arreptis versibus vel sententiis in margine exemplarium appictis, aliena continuo in textum inferciret. Tale exemplum est, unum quidem de multis, idque cumprimis memorabile, VIII, 111. 112., quo in loco haud dubie ineptum ἔμβλημα haeret.

Alias etiam textus vicissitudines atque fortunam minus acerbam divinare aliis ex indiciis licet. Tria hic Satirarum loca commonstrabo, accepta illa, ut apud Iuvenalem pleraque, pingui et ignavo editorum iudicio, in quibus refingendis, non emendatorum vel librariorum manum secundariam, imo vero ipsius poetae, scripta sua in autographo retractantis, operam haud obscure mihi videor animadvertere. Nempe illa sunt loca eiusmodi, ubi maxima et plane mirifica per Codices scripturae varietas instar prodigii habenda est, nisi liceat credere, id quod credibile est admodum, potuisse ab ipso scriptore secundas curas in carminibus collocari, eorumque novam quandam διασκευὴν institui post primam recitationem. Primus est VII, 139., ubi, quum in plurimis libris versus sic incipit, *Fidimus eloquio?* in aliis permultis scriptum exstat, *Ut redeant veteres*, consentientibus in hoc Hafniensibus quoque libris. Alterum miraculum occurrit VIII, 147. 151. et 167. Ibi, etsi in scholio servatur *Lateranus*, tamen fit simul mentio diversae in aliis libris scripturae, *Damasippus*, abeuntibus etiam in diversa, aequali paene numero suffragiorum, Codicibus. Denique paulo dissimile, sed fere eiusdem pretii, exemplum est VIII, 7.,

ubi, quem versum vulgo obelo confodiunt, diversa nos trutina examinandum putamus. Sed ex his ac similibus exemplis quid argumentando efficiatur, nunc non disputamus. Sufficit, saltem verbo attigisse, quomodo arbitrer perficiendum, ut ad iustam legem aliquando et causae indagentur variarum lectionum, et ordines constituantur Codicum, e diversis antigraphis ductorum.

Dicta haec sunto de Critica literaria pro modulo huius libelli. Sequitur altera pars Criticae, emendatrix, quae aut copiis utitur probe spectatis, aut ingenium adhibet doctrina excultum. Qua ex parte quid nuper praestitum sit vel peccatum, quamque vehementer titubatum per omnia, id quidem tacere melius est, quam indignam acerbitatis suspicionem contrahere dicendo *). Mox autem insequuta studia Iacobsii, Critici in paucis fertilissimi ingenii et eximiae sagacitatis, multo plus fuisse arbitramur Iuvenali profutura, si eandem, quam aliis intacta cum laude tribuit antiquitatis operibus, tribuere Romanis Satiris voluisset diligentiam.

Sed enim ingens se alia in parte campus aperit utilissimae commentationis, si ad ipsas res in Iuvenale explanandas interioremque Romanam antiquitatem illustrandam philologam industriam convertas. Scilicet intentissima cura hoc maxime in tali

*) Venit inter haec in manus parvum volumen, inscriptum *Animadversiones in Iuvenalis Satiras, sive Censura editionum Ruperttanarum. Auctore I. R. Aug. Heinecke. Hal. Sax.* 1804. Prostant ibi sat multa documenta alienae inertiae, et proprii censoris ingenii specimina aliquot bona. Nec desunt tamen odiosae arrogantiae ac fastus scholastici signa, quando sua inventa velut per edicta inculcat tiro.

scriptore est agendum, qui temporum suorum imaginem, tanquam in tabula expressam, repraesentat, cuiusque Satiras nemo intelligere recte, neque percipere omnes aculeos sententiarum ac nervos dictorum potest, nisi accuratiore notitia ipsarum rerum, eaque in multis non sine labore expiscanda, id fere studuerit efficere, ut, qua mente, qua sensus perspicuitate, quove motu animi, Romanus auditor recitantem Satiras poetam auscultarit, eadem fere aut simili duntaxat mente, sensu, animo, superstites Satiras post tot secula ope doctrinae legat. Haec autem res ipsas, verbis inclusas, explorandi et illustrandi provincia, quam late pateat in Iuvenale, id quidem minime satis ex vulgari opera interpretum, quos adhuc ille est nactus, iudicari vel cognosci potest: imo hoc munus est cumprimis eiusmodi, quo quis perfungi recte nequeat, si minus ausus sit, quod alicubi Reizius ait, evehi in altum Philologiae. Scilicet propter hoc alii etiam fontes sunt adeundi et loculi alii excutiendi, quam quos placuit doctis hominibus adire et excutere. Sic, ut hoc utar, Lucianus totus est dignus, qui cum Iuvenale comparetur, utpote qui eandem faciem temporum saepe eisdem vel similibus coloribus pingit, atque Romanos mixtos cum Graecis mores et ineptias haud diverso consilio insectatur.

Nos vero, qui hoc nobis negotii sumimus, ut per has publicas scribendi vel occasiones vel necessitates nonnulla ex his, quae in omni genere commentandi apud gravissimum scriptorem relicta sint, liberiorem ad modum, nec plane exiliter disputemus, haud frustra nobis videmur deprecari, si non eorum superbiam, qui, alieni ipsi ab initiis humanitatis, nullam omnino in literis neque humanitatem neque utilitatem norunt, nisi quae sacculo conducat, sed aliorum tamen reprehensionem, si qui fuerint, qui aut per-

petuas notas malint legere, aut collectos variarum lectionum fasciculos lucrari. Quibus dum alio tempore satis possimus facere, interim Seneca respondeat hoc dicto in Epistola: »Non est quod mireris, ex eadem materia suis quemque studiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertam.«

---

## *Ad Satiram* I.

Poeta in carminis exordio vss. 1-18. Satirarum quasi scenam aperit, dum rationem reddit causarum, cur iam ipse accedat ad scribendum: quippe vexatum se quotidianis recitationibus, quibus tum cuncta auditoria resonabant, atque fatigatum plane et obtusum devoranda vulgari ac toties repetita poematum materia, nunc demum molestae auditionis patientiam abiecisse; ipsum vero non minus exercitatum in scholasticorum ludis atque adeo scribendi negotio haud imparem, causa carere idonea, quamobrem solus praeter alios parcere debeat periturae chartae; scilicet in quam tum improba malorum versificatorum libido vehementer grassabatur. Rupto igitur nunc diuturno silentio, quo adhuc usus esset, se quoque, ait, quod interea in Luciliano genere effecisset, auditorio commissurum. Nempe Iuvenalem post longam demum quietem, quum paulatim ad senectutem vergere aetas coepisset, foras protulisse scripta sua, id fide constat historica ex Vitae eius fragmento, quod vulgo ad auctorem Suetonium refertur. Talis autem, qualem exposuimus, aperte est praeclari exordii sententiarum vis et iunctura, quam bis in novissimis Commentariis turbatam et perversam tum pravis distinctionibus tum sinistra herme-

neutica accepimus. Nos vero omnem locum huc transferamus ad iustam regulam scriptum et distinctum.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus, aut summi plena iam margine libri
Scriptus, et in tergo, necdum finitus Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis, et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani: quid agant Venti, quas torqueat umbras
Aeacus; unde alius furtivae devehat aurum
Pelliculae; quantas iaculetur Monychus ornos;
Frontonis platani, convulsaque marmora clamant
Semper, et assiduo ruptae lectore columnae.
Exspectes eadem a summo minimoque poeta!
Et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos
Consilium dedimus Sullae, privatus ut altum
Dormiret. Stulta est clementia, quum tot ubique
Vatibus occurras, periturae parcere chartae.

Ad hos versus politissimos de copiosa materia commentandi nostrum est ea inprimis expromere, quae praetermissa ab aliis deprehendimus. Ac primum triplex in his commemoratur recitationum genus: epica, tum tragoediae et elegi. Tragoedias omninoque fabulas ad agendum compositas recitari seu praelegi, Athenis Atticis florente re scenica inauditum fuit, nisi quum poeta διδάσκαλος singulas dramatis partes discentibus histrionibus docta vocis modulatione praeibat, vel Antiphanes aliquis comoediam ad

aures Alexandri regis intra domesticos parietes recitabat: quam rem tradit Athenaeus lib. XIII. statim in princ. Etenim, quam legem Lycurgi oratoris apud Pseudo-Plutarchum in X. Oratorum Vit. T. IV. p. 377. ed. Wyttenb., loco obscuro atque certe depravato (conf. Boettigeri Prolus. I. de eo, quid sit docere fabulam, Vimar. 1795. p. 12. not.), pessime vulgo ad institutum aliquod praelectionis trahunt, quamque talem et Petitus de Legg. Attic. p. 139. reddidit, tacente Wesselingio, et illum sequuti alii complures reddiderunt, qualem risisset, opinor, populus Atticus vehementer; ea lex nullum omnino vestigium praelectionis, neque publicae, neque privatae, habet, imo vero sic Athenis debuit intelligi: ut tragoediae Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, exscriptae publice custodirentur, easque scriba civitatis, qui tabulario praeerat, agentibus eas in scena histrionibus, iuxta et altrinsecus ex scripto exemplari legeret: hoc est παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις, sequi recitantes tacita lectione, (*nachlesen, indem die Acteurs recitiren.*) Qua lege videlicet caveri debuit, ut integra ac genuina magnorum ingeniorum opera servarentur, neu ea licentius, interpolando, demendo aut addendo, corrumperent histriones: quorum de novandi in dramatibus audacia vel licentia etiamnum sat multis exemplis constat. Vid. passim Valckenaer. ad Euripid. Phoeniss., inprimis p. 432 seq. Scilicet hoc deberi putabant reverentiae immortalium monumentorum, ut nihil in istis seu casu seu superbia immutaretur, eorumque, veluti sanctorum, incorruptae sinceritati diligentissime prospiceretur. Rationem ipsa legis verba subiiciebant: οὐ γὰρ ἐξεῖναι παρ' αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι. Sic lego, hoc sensu: *haud enim licere contra s. praeter eas agere s. recitare.* παρ' αὐτὰς de felici Wyttenbachii coniectura. Quamquam mirum videri potest, ni Plutarchus maluerit ad sensum accuratius scribere, παρ' αὐτὰς τὰς ἀντιγράφους, scil. τραγῳδίας, vel etiam παρ' αὐτὰ τὰ

ἀντίγραφα. Verum haec obiter. Contra Romae poetarum tragicorum studia in ἐπιδείξεσι continebantur plerumque, inprimis sub Caesaribus; rarius tragoediae, apud auditores recitatae a poetis, in scenam producebantur, agebanturque gestu histrionum: quae res pertinet ad decantatam illam scenae tragicae neglectionem apud Romanos. Vid. Boettigeri, Viri in his rebus saepe ad partes vocandi, Prolus. a. 1798. quae inscribitur: Quatuor aetates rei scenicae apud veteres, p. 19. not. Serioris aetatis quid isthac in re proprium fuerit, quando ne posteris quidem seculis tragoedias comoediasque per ludorum solemnitatem in scena edere plane cessatum est, singulari diligentia ostendit vir doctissimus, Petr. Er. Müllerus, Prof. Hafniensis, Comment. de Aevo Theodosiano Part. II. p. 134 seqq. Qui post tragoedias porro commemorantur elegi, hos nota Plinii Epistola VII, 17. omittit in recensu operum, quorum recitatio tum usu recepta fuit; etsi hi quoque, non minus quam lyrica, quae profert, causam, in qua tuenda istic versatur, quodammodo iuvare poterant. Sed *elegidia*, ut lectitata, expresse nominat Persius Sat. I, 51. Ceterum vss. 5. et 6. respexit Sidonius Apollinaris VIII, 16. »iam venitur ad margines umbilicorum, iam tempus est, ut Satiricus ait, Orestem nostrum vel super terga finiri.« Deinceps apud Iuvenalem ad commorandum nos vocant vs. 12. *Frontonis platani.* Nam platanus, ut omnino iucunda et dilecta antiquis arbor fuit, ita perraro abest, ubi dulcis et opacae sedis amoenitas adumbratur. Facile hic succurrit platanus Socratica ex Phaedro Platonis, magis etiam illustrata mentione Tulliana, prout rursus nuper ad Phaedrum notavit egregius vir et de Platone merens optime, Heindorfius. Quanto autem isthaec arbor in honore ac deliciis apud veteres fuerit, si quis forte ignoret, discere potest vel ex Gronovio, Obss. I. c. 5. Alia non nimis vulgaria dabit Burm. Sec. ad Anthol. Lat. T. II. p. 355. At-

que huc spectat elegiacum fragmentum Philetae Coi apud Athenaeum V. p. 192. E. *Θρήσκεσθαι πλατάνῳ λασίῃ ὕπο.* Sic illud olim emendavimus, ratione ipsa ducente, et Mitscherlichio, acuto arbitro, probante ad Horatium T. I. p. 456. Nam vulgo inepte legitur *πλατάνῳ γαίῃ ὑπό*, idque secure nuper est propagatum infortunata *ἀβλεψίᾳ* festinantis nimium, quamvis doctissimi, editoris, qui ibi nec vitium scripturae manifestum perspexit, neque hunc omnem locum Athenaei perite tractavit. De *Frontone*, ad quem istae Iuvenalis platani pertinent, est sterilis quaestiuncula, quis inter plures Frontones intelligi debeat, neque satis digna, quae hic iterum agitetur. Ceterum praeter alios vid. Dio Cass. LXVIII, 1. ibique Reimarus, et idem Dio LXIX, 18. tum Gataker. ad Antonin. I, 11. p. 19 seq. et Sirmond. ad Sidon. Apollin. Not. p. 7. Is igitur Fronto, seu Consul fere obscurus, sive princeps ista aetate advocatus (*ὁ τὰ πρῶτα τῶν τότε Ῥωμαίων ἐν δίκαις φερόμενος*, ut Dio ait l. post.) privatam domum et porticus platanis umbrosas recitantibus liberaliter praebebat; quod tum quidem necessarium fuit, quum neque in theatro fierent Romae recitationes (vide Heynium ad Donati Vit. Virgilii, Vol. I. p. LXXIX. 41.), necdum Athenaea publice exstructa essent, quorum postea satis est frequens memoria, inprimis apud Scriptt. Hist. Augustae. Vid. saltem Sirmond. ad Sid. p. 31. et 44. atque Iuretus Not. ad Symmach. I. Ep. IX. p. 9. Haec ipsa res altero loco Iuvenalis commemoratur, infra Sat. VII, 40., ex quo quidem similem Frontoni patronum, Maculonum nomine, cetera plane ignotum, laudare solent viri docti ad h. l., eundemque pariter alibi ad probandum istud genus liberalitatis passim sine ulla suspicione laudatum invenias. Sic ab Uptono ad Arriani Epictetea III, 23. T. II. P. II. p. 759. Schweigh., qui commemoratum a scriptore suo Quadratum (*Κόδρατον*) cum Maculono Iuvenalis comparat, et ab ipso Casau-

bono ad Theophrasti Char. V. p. 78. Fisch. At vero iam ingens periculum est, ne ineptus iste Maculonus, quamvis honorificum locum per tot secula ad hunc usque diem quiete obtinuerit, nunc tamen, vocatus in iudicium, non modo segregandus a numero patronorum, et adeo plane depellendus de vetere honoris ac famae possessione, sed omnino etiam delendus ex hominum memoria videatur: quamobrem, causa ipsa monente, paululum discedentes ab exordio, in quo versamur, commodum simul de isto altero loco disceptemus. Nimirum hic ita se habet inde a vs. 36.

Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste,
Quem colis, et Musarum, et Apollinis aede relicta.
Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos: et, si dulcedine famae
Succensus recites, Maculonus commodat aedes.
Haec longe ferrata domus servire iubetur,
In qua sollicitas imitatur ianua portas.

Enumerantur artes, quibus sordidi fautores utebantur, ut officium subterfugerent poetis pro carminibus sibi oblatis aliquid praemii conferendi. Fuit in his, ut versus vicissim facerent, eisque esurientes poetas invitarent largiter; tum, ut eisdem aedes ad recitandum praeberent, et eas adeo vetustate iam ruinosas vacuasque ab ullo apparatu. Duo priores versus sic, ut fecimus, recte interpungi, non dubium est. Vulgivagam Criticam, neque in se consilium neque modum habentem, regere unus potuisset locus Ammiani Marcell. XXX, 4. de claris oratoribus Graeciae, in quibus fuit »et Callistratus, quem nobilem illam super Oropo causam perorantem ipse Demosthenes, *Academia cum Platone relicta*, *sectatus est.*« Quod Ammianum scripsisse patet memorem

sententiae Iuvenalis, quem testatur alibi, tum studiosissime legi solitum: vide supra p. 8. Vs. 39. pro *et si* tres Codices Hafnienses offerunt *at si*, reliqui *aut si;* id quod sequendum videtur propter disiunctionem sententiarum, hic fere necessariam. Mox vs. 40. vulgatum ante novissimam utramque editionem fuit *Maculonis*, profectum haud dubie a manu correctoris, cui obversabantur *Frontonis platani.* Est tamen alienum ab re: nam *commodat* patronus hic noster aedes suas ipsius, non conducit alienas: qua de re constanter verbum usurpatur. Auct. ad Herenn. IV, 51. de inepto ostentatore: »Ait se *aedes* maximas cuidam amico ad nuptias *commodasse.*« Et mox, »Apagete, inquit, *aedes commodavi*, familiam dedi.« Plura cumulare, nihil attinet. Receptum ergo *Maculonus*, ex multis scriptis et impressis, quibuscum faciunt, praeter unum, Hafnienses. At ne hoc quidem satis tempestivum. Nolo dicere, plane esse inauditum hunc hominem. Quum tamen praecesserit *Ipse*, quo *iste*, *quem colis*, satis signatus videri debet, quis nunc demum inculcatum ipsum fautoris nomen exspectaverit? Certe illud tam sero positum, quasi antea poeta oblitus esset, aliquid inepti habet. Quod quidem si quisque assequi potest sensu suo, subtiliore utique, admonitus, auget multo magis dubitationem memorabile ad h. l. vetus scholion, quod aperte demonstrat, olim hic, ante omnes, puta, qui hodie exstant, libros, ne minimum quidem Maculoni vestigium et longe omnino diversam lectionem fuisse. Cuius rei levem suspicionem iam dudum Schurzfleischius movit, in Spicileg. Animadvv. p. 92., ita tamen, ut in reperienda veritate omni a parte coecutiret. Nam primum scholion illud ex membrana Pithoeus edidit corruptissimum, *Alii sordibus dixit, alii pictas;* in quibus posteriora verba integra sunt, priora integritati sic restituenda: *Alii sordidas textis;* aranearum videlicet, nisi hoc ipsum vocabulum forsan incuria

obliteratum est. Apparet nempe, duplicem glossam, in scholio commemoratam, referri ad antiquam lectionem, quae in genuinis exemplaribus reperiebatur, sed in corruptelam postea degeneravit. Quid multis moror? Lectum antiquitus fuit,

— — *maculosas* commodat aedes.

Quam lectionem utroque sensu accipiebant, alii *pictas* interpretantes, iique omnino contra usum linguae et sententiam loci, qui pictas et ornatas aedes minime admittit; alii, doctiores sane, *sordidas textis* vel texturis araneorum; et hi quidem egregie verissimeque. Ain' tu? Sic aio. Nam *maculae* sunt intervalla texturae, foramina sive aperturae in reti seu reticulo: cuius significatus sat multa exempla ex Cicerone, Varrone, aliis, apud Gesnerum videri possunt in Thes. L. L. et apud Ernestium Clav. Cic. s. v. Inde *macula* dicitur de tela araneorum. Si dubitaveris, audi Plinium Hist. Nat. XI, 28. Bip. de araneo: »Texere a medio incipit, — *maculas*que paribus semper intervallis — indissolubili nodo implicat.« Pluribus non opus est. Iuvenalis igitur aedes illiberalis patroni *maculosas* dixit, araneosas eas vel textura araneorum, *maculis*, obductas; quod sponte intelligitur, quam unice congruat aedificio *longe ferrato* ac deserto, hincque in situ et squalore iacenti; quam bene denique repraesentet fortunam literatorum hominum, quibus eiusmodi aedes ruinam minantes ac plenae araneorum, puta honoris causa, ad recitandum concedebantur. Ceterum, si ab usu, legitimo tamen, quaesitioris vocabuli discesseris, in ipsa re nihil plane Satiricus est ausus, nisi quod multis modis multorum exemplo firmatum esset, quippe nihil frequentius, nihil saepius variatum apud veteres poetas hac descriptione rerum vacuarum neglectarumque, ab aranearum texturis repetita, inde

ab Homero et Hesiodo, quorum loca nemo ignorat, Odyss. XVI, 35. Ἔργ. 475. Aliorum multis comparatis imaginem illustrarunt viri docti, Clark. ad Homer. l. c., Brouckhus. ad Propert. III, 4, 33., Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 564., Valckenar. Diatr. in Eurip. Fragm. p. 169., Heynius ad Tibull. I, 10, 49., Doering. in Catull. XIII, 8. et LXVIII, 49., Iacobs. in Anthol. Graec. Animadvv. I, 1. p. 282. Atque his, qui postremum nominati sunt, et similibus arbitris non dubitamus, probatum iri, nos, expulso Maculono, hic etiam loci araneas restituisse. Iam autem redeat, unde huc deflexit, commentatio ad primae Satirae initium.

Vs. 15. illud toties ex h. l. expressum *manum ferulae subducere*, etsi per se dictum non caret ἀμφιβολίᾳ, satis tamen docet universa loci sententia, non de eo dici, qui ludimagistri potestati se subduxit ac valedixit scholae, sed de eo, qui in media discipulorum caterva agit, et adeo plane est, non esse desiit, in magistri potestate, dum metu imminentis plagae subtrahit manum, ut pueri solent. Quod verum est, perspexit Wernsdorf. ad Colum. de Cultu Hort. 21. Poett. Min. T. VI. P. I. p. 36., cuius sapientiam fecit suam nuperus auctor censurae editionum Rupertianarum ad refutandum editorem. Ille tamen re ipsa manifestum reddit, S. Hieronymum, cuius testimonium affert, ex aliis laudare se maluisse, quam ipsius scripta evolvere. Nam quum Macrobius et Apollinaris Sidonius, noto uterque loco, in eundem sensum, quem ratio postulat, satiricam Iuvenalis ῥῆσιν usurparunt, tum Hieronymus non uno, sed tribus locis, eandem adhibuit, eadem sententia. Apolog. ad Domnionem Ep. LI. p. 400. A. Tom. I. ed. Paris. »Et nos didicimus literas, et nos *saepe manum ferulae subduximus.*« ubi Marianus in Scholiis, quid rei sit, recte observat. Advers. Ruffin. I, 4. p. 495. G. »Debes, si Latina tentaveris,

ante audire Grammaticum, *ferulae manum subtrahere*, et inter parvulos artem loquendi discere.« Denique ad Pammach. Epist. CI., p. 665. C. »Ergo frustra tanto tempore studuimus, et *saepe manum ferulae subduximus.«* Haec, quamvis dubitationem nullam in veram formulae sententiam inquirenti relinquere debeant, aut ignorata tamen aut parum sedulo examinata, diligentissimis hominibus fraudi fuerunt. Interpretes Iuvenalis non dico, quorum diligentia, qualis sit, ad singulos prope versus facile intelligitur. Sed a vero aberrantes videbis etiam Savaronem ad Sidon. p. 153. et rursus p. 324. ac Gesnerum in Thes. L. L. sub v. *Subduco.* Quid quaeris? imo summus Des. Erasmus aberravit, qui de hac formula egit in Adag. p. 1099. Wechel., sed mox fere errorem poenitendo correxit, subiectis in fine verbis: »Nisi forte manum ferulae subducere pueri dicuntur, cum metu plagae subtrahunt manum.« Nimirum haec sola digna sunt immortalis viri ingenio: at iterum (invitus moneo) parum digna, quae deinde apposuit, in quibus, vana specie verborum deceptus, abutitur loco Timoclis ex Athenaeo lib. XIII. (p. 570. F.), prorsus alieno ab hac re. Vid. Schweighäuser. Animadvv. T. VII. p. 87. et Iacobs. ad Anthol. Gr. II, 3. p. 88. Tam humanum est, in minutis his rebus errare, tam aequum, errantem in viam comiter reducere!

Vs. 30-36.

Difficile est, Satiram non scribere. Nam quis iniquae
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,
Causidici nova quum veniat lectica Mathonis,
Plena ipso: post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa,
Quod superest; quem Massa timet, quem munere palpat
Carus, et a trepido Thymele submissa Latino!

Lente ad hunc locum properavimus, qui, ex quo Iuvenalis explicari coepit, multorum operam exercuit, et etiamnum tam ipsius felicius illustrandi, quam aliorum locorum poetae, quae in simili argumento versantur, tractandorum instituendaeque haud infructuosae nec iniucundae disputationis, facilem opportunitatem praebet. Quis ille fuerit, famosus certe suo tempore, delator, ad quem poeta spectavit, hodie frustra quaeritur, ut tot alia huius generis. Neque id scire admodum interest, quod mox lectoribus ipsis Romae natis et educatis incertum fieri debuit, quibus tum liberum esset, unum prae ceteris nebulonibus sibi animo fingere, in quos dici poterat illud, ex hoc loco ductum, Sidonii V, 7. »Hi sunt, quos timent, etiam qui timentur.« Ne vero Scholiastae temere credas, obstat et ipsius haesitatio et levitas manifesta, qua statim de Massa et Caro aut nova mentitur, aut ementita ab aliis affert. Nempe hic sorex suis se saepe prodit indiciis, ut ille ait; scrupulos tamen praeter rem iniecit Savaroni ad Sidon. p. 330. Maxima difficultas inest in verbis, in quibus Thymele commemoratur et Latinus. His, qui partes tam crebro in scena egerant, quales in Satira poeta assignatas voluerit, valde ambiguum est. Scholiastarum, et veteris, quem vulgo vocant, et duorum, ex quibus particulas excerpsit Barthius Advers. XIII, 13., auctoritatem non pluris ducendam arbitror, quam antea iudicatum: quippe isti nexas non nisi ex verbis poetae historiolas apponunt. Quod, hactenus nudo iudicio collectum, locuples testis, et vere testis, confirmat Martialis, ad coarguenda posterorum nugatorum mendacia auctor gravissimus, cuius praeclarum epitaphium Latini feliciter servatum exstat inter Epigrammata, IX, 28. Ibi, praeter artem hominis singularem, sic una integritatem vitae morumque probitatem mirifice extollit, ut ex tot verbis honorificis ne unum quidem proferre impune licuisset, si vera fuissent, quae in scho-

liis narrantur. Atque inde omnino aestimanda est horum scholiorum in Iuvenalem fides, quoties de rebus ad historiam pertinentibus loquuntur; quorum ab hac parte vanitatem nonnullis passim exemplis iam dudum notaverat Casaubonus ad Suetonium, vel non visus multis interpretum, vel non auditus. Ad Thymelen, cuius, praeter Nostrum (de quo postea), et Martialis meminit I, 5, 5., prius monebo, quod spectat ad Sidonium, eadem voce utentem IX, 13. in Carm., hunc in modum,

Bimari remittat urbe
Thymelen Palenque doctas
Tepidas ad officinas
Citharistrias Corinthus:
Digiti quibus canentes,
Pariter sonante lingua,
Vice pectinis fatigent
Animata fila pulsu.

*Thymelen* hic ludiam citharistriam, *Palen* psaltriam saltabundam exponit Savaro, nomina scilicet propria feminarum, si recte capio, quae paulo obscurius significavit. At vero alterum locum considera eiusdem scriptoris Carm. XXIII. v. 300., ubi, post recensum fabularum, quae a pantomimis agebantur, statim haec sequuntur,

Quid dicam citharistrias, choraulas,
Mimos, schoenobatas, gelasianos,
Cannas, plectra, iocos, palen, rudentem,
Coram te trepidanter explicare?

Hic doctrina, alias non mediocris, Savaronem deficit, qui solis his verbis defungitur: »Pale quid certo sit, nescio.« Et nescie-

bant similiter, tum quid *pale* esset hoc, tum quid *thymele* illo in loco, qui magnis voluminibus medias aetates Graecae et Latinae linguae complexi sunt; imo, quod ignorantiae professione peius erat, silentio ipsa vocabula praeterierunt. Putes, saltem *thymelen* Sidonii aurem vellere debuisse ICtis eruditis, quando oracula edenda erant de *thymelicis:* quos inter ipsos aeque est altum tamen silentium et taciturnitas vere erudita. Vocem sustulit Gesnerus tandem, imperiosius tamen, quam pro insigni vir doctissimus modestia solebat, nimis praecise scribens in Thes. *Thymele:* »Est etiam saltatio histrionica«: quum antea circumspectius egisset in *Pale*, dicens: »Pro saltatione accipienda haec videtur Sidon. Ep. 9, 13.« Alterius loci ex Carmine tum non meminerat: in quo *pale* est gelasianorum. Novum genus ludicri significatur, vocabulo vetere Graeco traducto καταχρηστικῶς ad rem novam. Incredibile est, quot modis variata ac multiplicata omnis generis ludicra et θαύματα processerint ad seculum usque Theodosii, in quibus multa sunt confusa cum disparatis, quae Oedipum adhuc suum desiderant. Sic, ut hoc utar, praestigias illas hominis, populum in theatro singulis Calendis inepto spectaculo ducentis, a Synesio descriptas in Encom. calvitii p. 77. Petav., minus recte, opinor, ad mimos refert Müller. de Aevo Theodos. P. II. p. 93. Ad *palen* quod attinet, saltationem merito accipias, sed ridiculis motibus peractam, ut gelasianorum, atque imitantem ad risum varios corporis flexus ac motus (καμπὰς, στροφὰς), luctae, πάλης, proprias. Saltatio sane, natura sua decentior, γυμνασίων τὸ κάλλιστόν τε ἅμα καὶ εὐρυθμότατον, ut dicit Lucian. de Saltat. 71., quum vehementiores luctatorum contortiones exprimebat, non dubium est, quin sat ioculare spectaculum praebere debuerit. Porro ipsa inter antiquiora genera saltationis fuit ἀνακάλη, cognita illa nobis ex Athenaeo l. XIV. p. 631. B., cuius erat praecipuum,

ut gymnopaedices, quandam luctae speciem repraesentare (*ἐμφαίνειν θεώρημά τι τῆς παλαίστρας.*) Inde extremis temporibus mansit *pale*, sed serio genere antiquorum, scurrarum, ut fit, ineptiis deformato. Iam quoniam Sidonius hoc de gelasianis loco *palen* pro re posuit, omnino et dissimile veri est et prorsus nudum a ratione, prius eodem vocabulo designari personam. Imo vero ibi *palen* pari haud dubie significatione dixit de ὀρχήσει, et *citharistrias thymelen palenque doctas*, citharae doctas simul cum artibus saltandi, μουσουργοὺς καὶ ὀρχηστρίδας, iuxta Lucian. Amor. c. 10. Nam istarum artium frequens erat coniunctio: qua de re vide egregiam observationem Godofr. Hermanni ad Aristotel. Poetic. XXVII, 3. p. 191. *Thymele* non est ipsa saltatio, et corrigendum est, quod leviter Gesnerus scripsit in Thes. l. d. Citharistrias *thymelen doctas* generaliter dictas accipe, scenae peritas, thymelicas.

Hac via reditum est ad Thymelen Iuvenalis, spectatissimam sua aetate Mimam, eiusque in scena collusorem, Latinum, quorum partes quales sint apud poetam, ulterius est persequendum. Primum hoc exploratum ac satis certum videtur, cogitari omnino non debere de vita istorum hominum privata, sed contra utrumque commemorari propter ea, quae iam saepe coram populo scurrili arte transegerant in scena, per mimum; tangi adeo scenicam actionem, frequenti spectaculo Romae pernotam. Quamobrem Ang. Politianus Epist. VII, 33., etsi plura bene disputat, tamen huius loci rationem non perspexit: quo neque Raderus, licet multa corraserit, multo ingeniosior fuit, ad Martial. I, 4. p. 82. Sed utrumque perspiciendo longe superavit Turnebus, cuius ex Advers. XX. c. VIII. peracutam observationem repetiisse, haud ingratum erit. »Thymele mima, quae cum Latino saepe gestum

agebat. Mimi igitur argumentum egit cum ea Latinus, in quo cum ea, ut aliena uxore, moechus paene deprehendebatur, vel marito de adulterio aliquorum delatione suspectus erat: sed dolosam et astutam moecham ad maritum allegavit, quae ei os sublineret, et periculo Latinum et crimine eximeret. Id igitur facete Iuvenalis ad extremum iacit ex argumento notissimi illa tempestate mimi: quemadmodum Latinus deprecatrice moecha est usus, sic pro se quosdam ad delatorem placandum deprecatores mittere.« Haec ille optima cum ratione nec sine elegantia, posterorum vel temeritate vel levitate relictus aut neglectus: inter quos rursus elucet clarum nomen Gesneri in Thes., saepius, quam velimus pro summa viri reverentia, alucinatus in eis, quae passim ex Satirico tractat. Parvula res superest, quae Turnebi aciem effugit, necessaria ea ad perfectionem sententiae. Nam, eiecta copula haud idonea, quae correctorum pravo consilio hic alienam sedem occupavit, legendum,

— *ut* a trepido Thymele submissa Latino.

Dicit delatorem potentem ac saevum, qui ab aliis delatoribus timetur, quemque ipsum muneribus palpat alius, peraeque humiliter et abiecte, quam facit in mimo notissimo adultera, missa ab adultero, fortasse ad maritum zelotypum. Hunc ipsum vero appellare, et adeo enuntiare, ad quem submitteretur Mima, non opus erat apud auditores vel lectores, quibus vix verbo commonefactis in re nemini non obvia et praesente, nihil ultra dicendum erat. Zelotypum maritum, non arbitratu nostro, sed ex re ipsoque mimo suppositum, argumenta sunt, quibus persuadeamus. Nam quum animum attenderis ad nutus haud parcos nec obscuros in ipso poeta, optabilem notitiam totius scenicae actionis, qua-

lem iste mimus celebrabat, cum ipsa personarum descriptione, ex variis Satirarum locis, invicem comparatis, non tam forte, quam arte quadam, licebit constituere. Scilicet lascivia mimorum, quasi legitimo more, in exprimendis adulterorum flagitiis versabatur inprimis. Prodibat ab altera parte »cultus adulter« cum »callida nupta«; ab altera »stultus vir«, qui ludibrio esset adulterae uxori et quavis eius astutia deceptus, populo cachinnos moveret. Egregium antiquissimumque testimonium Ovidii, loco de mimis luculentissimo, Trist. II, 497 seqq., cuius ista sunt verba, modo apposita. Haec idem »scenica adulteria« dicit, quibus spectandis Imperator ipse Augustus impense delectabatur: v. 514. Neque castiorem illum ludum fuisse puto, de quo Ammianus Marc. XXIII, 5. post princ., »quum Antiochiae scenicis ludis Mimus cum uxore immissus in medio *sumpta quaedam* imitaretur.« Etenim tecte significat idem genus nequitiae, ad rariorem usum verbi *sumere*, de quo vide ad Petron. c. 100. Personam moechi Latinus sustinuit, imperatore Domitiano: vid. Sueton. Domit. c. 15. Martial. I, 5. Quo pertinet altera mentio Latini apud Nostrum Sat. VI, 41.

Quid fieri non posse putes, si iungitur ulla
Ursidio? si moechorum notissimus olim
Stulta maritali iam porrigit ora capistro,
Quem toties texit perituri cista Latini?

Constat, in his item ad mimum alludi. Addo, ad mimicam eandem actionem, tum maxime conspicuam, quando Latinum, partes adulteri agentem, Thymele sub persona uxoris, marito zelotypo superveniente, in arca inclusum abscondebat. At cista Latini *perituri*, etsi ad sensum apte explicari scio, sic tamen

minus grammatice dictum videri debet. Lego itaque, tantum una litera deleta,

Quem toties texit *periuri* cista Latini.

Scilicet poeta, pro eo more, quo Satiras Virgilianis verbis ac dictionibus, parodiae instar inversis, saepe condire solet, Maronianam versus clausulam suam fecit, ex Aeneid. II, 195.

— — periurique arte Sinonis.

et iterum V, 811.

— — — periurae moenia Troiae.

Sed ingeniosum hoc genus parodiae, Satirae optime conveniens, et interdum quoque fructuosum ad iudicium de lectionum veritate regendum, infra pluribus illustrabitur. Iam igitur ut moechum *periurum* egit Latinus, sic aliquando Roscius »improbissimum et *periurissimum* lenonem« repraesentaverat in scena, teste Cicerone pro Rosc. Com. c. 7. Quod genus hominum turpitudinis vinculo inter se iunctum, recte etiam iungitur eadem nota epitheti: et ibidem orator periuro castum opponit, ut appareat, qua illum significatione dictum voluerit intelligi. Quemadmodum autem h. l. Iuvenali ludus scenicus obversabatur, ita Horatius idem ludibrium mimi respexit notis versibus Serm. II, 7, 59-61. Nimirum hoc ipse quoque spectaverat in theatro, et non minus spectatum Romanis, sic velut alludendo poterat commemorare. Quam rem, praetermissam adhuc interpretibus, confirmatam aliquando, si verum auguror, videbimus assensu virorum, qui in parte altera

Flacci operum illustranda cummaxime laborant, Mitscherlichii et Doeringii. — Adultera, secunda persona, callida mulier atque in technis ac dolis struendis artifex: quae quum timeret, ne maritus, certior factus, flagitiosam perfidiam acerbe ulcisceretur, illum aggrediebatur blandiendo, ut placaret; aut, si mavis, missa ab adultero ad delatorem, servum vel alium quemcunque, quem blanditiis, donis, gratia, commitigaret. Ceterum ea omnibus modis verba dat miserando capiti, »quumque fefellit amans aliqua novitate maritum, Plauditur.« Sic Ovid. l. c. — Tertia persona, ridicula praeter omnes, zelotypi mariti. Is a Iuvenale significatur Sat. VIII, 197.

Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi.

Ex quo versu Corinthum Mimum, nescio quem, arripiunt interpretes omnes. Imo vero scribendum *Corinthi.* Nam id duntaxat credas, fuisse histrionem haud ignobilem *Corinthium*, gentili nomine. Istis enim ludionibus, ut servis, saepe nomina a gente indebantur. Sic Latinus fuit, sic Corinthius, alii. Iam quoniam stupiditatem, fere ut colorem, inducere solebant zelotypiae, hinc factum, ut in mimo maritus a stupore tanquam proprio nomine appellaretur *stupidus;* Ovidio l. supra laud. *stultus.* Cuius personae proprium erat *caput rasum*, calvities morionum solemnis. Quam in rem haec duo de plurimis locis protulisse sufficiat. Arnob. advers. Gent. l. VII. p. 300. »Mimis nimirum dii gaudent: — delectantur, ut res est, *stupidorum capitibus rasis.*« cet. Vide ibi notata Des. Heraldo, p. 416. Cyprianus de Spectac. (Opp. ed. Amstel.) p. 4. enumerat »scenae sales inverecundos; agentium strophas, adulterorum fallacias, — ipsos quoque patresfamilias togatos, modo *stupidos*, modo obscoenos, in omnibus

stolidos.« Sic vulgatur; vix puto de manu Cypriani. Nam ultima tria verba inducenda videntur, inepte adiecta ex margine, ubi notatum erat his verbis, in omnibus exemplaribus, scilicet quae vidisset ille, qui haec verba adscripsit, stolidos inveniri pro stultis. Alia multa hanc in rem docta manu collegit Müllerus Comment. laud. P. II. Cap. IX. Hinc et originem traxit antiquum verbum *calvere* et *calvi*, docente Nonio Marc. p. 6., in quo olim mire est alucinatus Lipsius Antiqu. Lectt. V, 14. Verbum, e vita communi in Ius assumtum, satis illustratum a Menagio in Iuris Civil. Amoenitatt. p. 264. et apud Duker. de Latinitate ICtorum p. 163. Add. Vales. ad Ammian. Marc. XXX, 4. extr. Sed calvus morio, μωρὸς φαλακρὸς, quum tantopere in deliciis fuerit, (nam leno quoque in scena φαλακρὸς producebatur, et servus: vid. Polluc. Onomast. IV, 145. et 150.) scire interest rationem inventi et originem, quam ipse suo loco Salmasius praetermisit, ea de re loquens ad Scriptt. Hist. Aug. p. 385. E. F. Nimirum res ducta ex fabulis Satyricis Graecorum, ac translata a Silenis, quorum in istis conspicua calvities, (v. vel Xenoph. Sympos. IV, 19. cum locis, quae designavit Schneiderus, cuius hic, ut ubique, maxima supra calumniam doctrina exsplendescit.) ad quoscunque moriones senes et ridicula capita. Conf. Iuvenal. V, 171. 72. Stultus ne simul κερασφόρος prodire in conspectum deberet, et ipsi Sileni effecerunt, utpote plane expertes talis vel oneris vel ornatus: quanquam in vita communi istius generis κέρατα iam apud veteres vigebant, commemorata Artemidoro Oneirocr. II, 12. p. 155. Reiff. Vid. Iacobs. ad Lucillii Epigr. IX. Animadvv. II, 2. p. 444. Huschke in Analect. crit. p. 168. et, qui utriusque doctissimi viri diligentiam fugit, Henelius Otii Vratislav. Cap. XLVII. Colaphorum alaparumque iniuriis nihil frequentius in mimo, atque istarum omnino valde consuetus in ludis mimicis abusus fuit. *Mamercorum ala-*

*pas* VIII, 192. carpit ipse poeta; atque hac scurrilitate multis variisque modis utebantur planipedes ad populi spectantis delectationem. Nonnulla ad rem apte notavit Müller. l. c. p. 92. Discernenda autem huius ignominiae duplex ratio, una *κονδύλους ἐντρίψαι*, de qua egregie dixit Tollius ad Longinum p. 232., altera *κατὰ κόῤῥης πατάξαι*, de qua vide Harpocrat. Lex. Oratt. sub *ἐπὶ κόῤῥης*, et Ti. Hemsterhus. ad Lucian. T. I. p. 493. Bipont. Genus utrumque in scena frequentatum effusissimos in subselliis risus ciebat, quando aut stultus alapis os praebebat, aut ipsa Mima colaphis indigne pertundebatur. Recens exemplum rei vetustae apud Procopium Anecdot. Alemann. p. 42. de Theodora, ista famosa Imperatrice, antea inter Mimos turpissima prostibula, neque tamen minus egregie in scena faceta, de qua ibi Procopius: *καὶ τοιαύτη τις ἦν, οἷα ῥαπιζομένη μέν τε, καὶ κατὰ κόῤῥης πατασσομένη χαριεντίζειν τε, καὶ μέγιστα ἀνακαγχάζειν.* Latinae Alemanni interpretationis vitia corrigere non vacat. Notanda Mimae festivitas, alapas salse iocando, interdum et fuse ridendo, excipientis. Quae statim post haec in Procopii contextu lacuna sequitur, eam ex Suida Toupius satis supplevisse sibi visus est Emendatt. p. 258. Lips., cuius imperio contenti haud dubie viri eruditi, quibus Appendix novae editionis Oxoniensis debetur, nihil hic fraudis odorati sunt. At Toupius falsus est, quum Procopium e solo Lexicographo reconcinnari iuberet. Ingentem lacunam non unius paginae e Cod. MSto Vaticano expletam praestant Menagiana T. III. p. 256. et 257., atque inde Gibbonus Historiae suae Cap. 40. not. 24., cuius saltem debere meminisse Britannos illos existimaveris.

Sed mimicae actionis, qualem mente informamus, restat quarta denique persona, servus, flagitiorum, puto, conscius, ac promtum sese dominae ministrum praebens. Colligere id licet

ex Capitolino in M. Antonin. sub fin. (p. 34. D. Salmas.) ubi haec legitur ingeniosae cavillationis narratio. »Crimini ei datum est, quod adulteros uxoris promoverit — ad varios honores: quum Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehenderit. De quo Mimus in scena praesente Antonino dixit, quum *stupidus* nomen *adulteri* uxoris a *servo* quaereret, et ille diceret ter, Tullus, et adhuc stupidus quaereret, respondit ille: Iam dixi ter, Tullus dicitur.« Patet hinc igitur, servum quoque scurriles partes egisse inter reliquas personas mimi; simulque, ut obiter moneam, miro hoc exemplo intelligi potest, qualis fuerit Mimorum in publico licentia et *παῤῥησία*, de qua ceterum vid. Dio Cass. LIV, 17. et Macrob. II, 7.

Quae praeterea de mimis, etiam propter Iuvenalem, quaerenda sint, aptius ad loca Satirae octavae expromentur; et ad ipsam Thymelen infra nos revocabit locus difficillimus et obscurissimus Sat. VI, 63 seqq.

### Vs. 55-57.

Quum leno accipiat moechi bona, si capiendi
Ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.

Quae ad hunc locum explicanda sunt, pertinent ad Ius Romanum: in quo veteris Scholiastae *δοκησισοφίαν* posteriores omnes religiosius quam prudentius sequuti, et Ius ipsum et sententiam poetae vanis erroribus implicuerunt. Qua de re, adiuti commoda admonitione ICti nostri eruditissimi veteremque Cuiaciorum doctrinam raro studio servantis, Andr. Guil. Crameri, nos iam ita paulo accuratius disputabimus.

Ad verba, *si capiendi ius nullum uxori*, tale prostat scholion: »Si uxor eius iure impediatur adultero succedere, ipse maritus leno succedit adultero heres, ut per fideicommissum res adulteri ad adulteram veniant.« Haec effata ignoti hominis, quamvis mirifice eius imperitiam rerum probent, certissima tamen visa sunt interpretibus, simulque, ne ignorasse ipsi causam, cur uxor succedere non posset, viderentur, excitatum Domitiani Imp. edictum ex Suetonio in eius Vita cap. 8., quo probrosis feminis ademtum ius fuit capiendi legata hereditatesque. Probrosa igitur haec uxor, indeque illi *capiendi ius nullum*. Quasi vero omnis femina statim de iure legitimo probrosa esset, quae probrum meruit turpitudine! Quin potius, quum de occultis rebus Praetor iudicet non magis, quam ecclesia, uxor legitime probrosa non est, quae peccat clam iudice, conscio marito, et adeo istud turpe uxorum vulgus, quod hic Satirae aculeis poeta insectatur, edicto Imperatoris haudquaquam esse poterat obnoxium. Neque omnino verius isto est alterum, quod Scholiastes narrat de fideicommisso, per quod nempe bona adulteri hereditate venissent ad adulteram. Nam posteaquam Augustus primus in fideicommissis iusserat Consules auctoritatem suam interponere, conversumque id paulatim erat in assiduam iurisdictionem, ut Praetor etiam proprius crearetur, qui de fideicommissis ius diceret, fideicommissarius appellatus (vid. Institutt. l. II. tit. 23. §. 1.): nec fideicommisso uxor heres poterat institui, nisi quam directe licebat instituere. Si talis uxor fuit, quae non iure hereditatem posset capere, frustra plane fuisset, quae de fideicommisso voluisset postulare maritum, si forsan, facto posthac divortio, negaret, redditurum se hereditatem. Contra ea longe est alia Iuris ratio atque diversa mens Satirici. *Bona accipere* est, heredem ex asse fieri: neque sine vi singulari et delectu positum videtur *accipere*, quod mox *capere*,

ea aliqua differentia, ut qualicunque modo *accipiamus*, quod honeste *capere* non possumus. Vide Gesner. ad Plin. Panegyr. LXI, 5. Iam vero, quae ex lege testamentaria Voconia ab omni hereditate exclusae erant, mulieres, non magis scribi ex asse secundum Papiam Poppaeam poterant, nisi ius liberorum haberent; sed mariti scribi poterant, vel solitarii. Vid. Heineccius ad Legem Pap. Popp. p. 291. 293. Maritus igitur leno, solidae avidus hereditatis, nunc lubens indulget adulterio, ut, quum uxor bona moechi capiendi ius non habeat, eaque heres scribi non possit, scribatur ipse, quippe concessa adultero licentia, qui ipsum solitarium faceret. Propter rem conf. Schulting. in Iurisprud. Ante-Iustin. p. 606. ad Ulpiani Tit. XIII. Quin optime Iuvenalis suum ipse sensum illustrat Sat. IX, 82 seqq., inprimis his moechi verbis ad virum, cuius uxorem fecerat gravidam,

Iura parentis habes; propter me scriberis heres;
Legatum omne capis, nec non et dulce caducum.

Post haec omnia illud denique monebo, quo attentum lectorem ipse facile contextus, probe ponderatus, ducat necesse est, nihil prorsus referre in omni hoc negotio, ut per fideicommissum ad solam uxorem veniat hereditas: quandoquidem id tantum agit nobile par coniugum, ut parta communiter praeda communiter etiam perfruatur.

### Vs. 154-157.

Quid refert dictis ignoscat Mucius, an non?
Pone Tigellinum: taeda lucebit in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant;
Et latum media sulcum deducit arena.

Locus, ut vulgo editur, non modo est perobscurus, sed ne sanae quidem sententiae, omniumque in hac Satira maxime vexatus ineptis coniecturis. Vs. 154. 155. temporum ingens diversitas notatur. Aliquando sane, dum Lucilius viveret, impune licebat castigare Mucios ac Muciorum similes: at nunc vero, si potentem et catulum aliquem Imperatoris tangere induxeris, ardebis cet. *Refert* et *ignoscat* dixit recte et ἐμφατικῶς, quamvis in re praeterita atque erepta. Reliqua, vix una vel altera fallaci macula scripturae impedita, quot miros lusus opinionum, quot falsas ariolorum voces elicuerint, si quis otiosus scire cupiat, adest, unde discat, bene pinguis inanium cupediarum fasciculus, quem in singulari ad h. l. Excursu collegit novissimus editor: quem ipsum tamen mirari propterea licet, tum quod, quam, ut suam, coniectationem proposuit supra omnes reliquas, eandem non maluerit vetusto ac vero eius auctori assignare, (nam illud ipsum infortunatum *qui ducit* bis legere poterat commemoratum in farragine Henniniana, p. 434. et 681.), tum quod suo ipsius, novo sane, iudicio superare voluerit priorum omnium temeritatem. Sed huiuscemodi monstra ἀκρισίας fere inauditae, quibus istae nuperae editiones plane incredibiliter scatent, quis est, qui exagitando velit otium consumere? Emendatum *lucebis*, et *deducis* ex antiquo Codice Budensi iam pridem Pithoeus prodiderat, idque sequutus Rupertianae indiligentiae censor acerbus, Heinecke, probabilem sententiam dixit. Potuitne vero idem, cui Plinii locus satis notus erat, simul nescire tamen, qualis ibi per tot lustra prostaret notatio Gesneri? Nimirum ad Plinii Paneg. XXXIII, 3., ubi sunt verba »miseras voluptates unco et ignibus expiavit,« haec ille: »*Unco*, quo iniecto traherentur per arenam: *ignibus*, quibus in tunica illa molesta urerentur homines, de qua Iuven. 8, 235. Utrumque supplicium coniungere videtur idem 1, 155. *Taeda lucebis in illa*,

*Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant: Et latum media sulcum deducis arena.* Sic legendum illum locum puto. *Lucebit* certe, et *deducet*, non recte intelligo.« Hunc tandem fructum maturi iudicii servemus grato animo, atque pro certo licebit sumere, quae, immemor vetustae in membrana emendationis et tantum obiter coniiciens, dubitantius protulit vir modestus. Duplex genus supplicii intelligitur, molesta tunica illa, et uncus: de quo Iuvenalis Sat. X, 66. »Seianus ducitur unco Spectandus.« Quapropter versus forsan rectius etiam legitur sic,

*Aut* latum media sulcum deducis arena.

Nisi ex ipsa apud Plinium iunctura vulgatum *et* tueri aliquis velit. Id unum denique dubitari potest, quod vel dubium reddit perpetua in libris scriptis variatio, sitne verum et genuinum in hac sententia *deducere*, an *diducere*. Et illud alterum quidem omnia fere exemplaria tenent, non spernendo utique consensu: hoc ex vetere Codice probarunt Lipsius ad Senec. de Ira III, 3. et Heinsius ad Ovid. Met. IV, 375. Sane in arena, seu per arenam, sulcus *di*ducitur, quando tracto sulco arena diffinditur: at *de*duci quoque potest sulcus, quum de loco ad locum ducitur; trahebantur autem perduelles unco ad Gemonias. Itaque audienda testimonia plurimorum Codicum, Hafniensium quoque nostrorum. Ceterum non esset dubitare, sed sane ignorare poetarum et fere omnino scriptorum in tali sententiarum nexu usum legitimum, si cui offensioni forent iuncta tempora diversa, *lucebis*, et *deducis*. Verum ne hoc quidem iam nostrum est, tradere loquendi elementa, etsi haud desunt interpretes, quibus haec discere sit necesse.

Vs. 165-170.

Ense velut stricto quoties Lucilius ardens

Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.
Inde irae et lacrimae! Tecum prius ergo voluta
Haec animo ante tubas: galeatum sero duelli
Poenitet.

Ad priorem partem horum versuum elegans est et concinna observatio Huschkii in Analect. crit. p. 32. 33., ducta ex eo genere Critices, quod nove aestheticum appellant: quo in genere mira plerumque vanitas atque inanis strepitus verborum ostentatur, nisi cum vera antiquae venustatis intelligentia interioreque veterum linguarum notitia coniunctum sit. In reliquis vss. 168. 169. notandum hoc, quod licet videre apud Priscianum Grammaticum, manum poetae iam tum, hoc est, sexto ineunte seculo, in exemplaribus male emendatis vitiatam fuisse. Nam verba haec etiam hortatoris esse, non poetae, et nullum adeo locum isti perraro artificio, quo quis ipse animum suum alloquitur, unumquemque oportet intelligere, qui omnem complexum ac decursum sermonis, in postrema parte Satirae institutum, penitius introspexit. Iam autem duplex in h. l. scriptura ex libris elucet, utraque illa commoditate quidem spectabilis, quum sat multi Codd. legunt *animo ante tubas* vel *tubam*, alii fere plures *animante tuba*, posita interpunctione plena ante haec ipsa verba: sicque etiam sex nostri Danici. Ac sane hic est, ubi sententia dici debeat ex aliis legibus praeter historicas, quae quantum valere possint in recensendo Iuvenale, quum certe aliquid valeant in tanta Codicum et multitudine et discrepantia, ad hunc usque diem nemo quaerere est ausus. Etenim ne in vetustate quidem librorum magna vis argumenti ponenda foret, si vel maxime constaret, eos, qui unam aut alteram scripturam tueantur, vetustiores esse reli-

quis omnibus: quippe id ipsum modo vidimus, tradi apud Priscianum eam lectionem, quae ut omnium nostrorum Codicum aetate multis seculis est prior, ita est omnium lectionum sine dubio longe falsissima. Quare, ut fidem auctoritatemque conciliemus ei, quae nunc ad fluxum aliquem sensum verisimilitudinis, neque rationibus iuste explicatis, in ordinem recepta est, scripturae *ante tubas*, ne iuvamur quidem magnopere testimonio vel Budensis libri vel scholii veteris; quod ipsum, si recte intelligitur, eandem lectionem interpretatur. Sunt autem aliae e diverso quidem genere rationes, quae momentum facere videantur cum ad alteram varietatem damnandam, tum ad vulgatam lectionem stabiliendam. Nam *animante tuba*, etsi satis animose dictum censeri potest, haec tamen animositas in loquendo non satis placet, quae propior est insolentiae: quippe idonea exempla talis usus verbi desiderantur usque, vel apud scriptores aevi argentei. Deinde vero sic *animante tuba*, quaedam dispar compositio orationis existit, qua poetae ingratiis illius integra concinnitas turbatur, dum, abrupta subito oratione post voc. *haec*, priora ista paene ieiuna fiunt propter nimiam dictionis brevitatem, et reliquis contra aliquaepiam abundantia obtruditur, minus apta. Nam *galeatus* per se explet satis sententiam: non est enim miles simpliciter, ut fere Iuvenali VIII, 238., sed est, ut *mulier galeata* VI, 252., galea indutus, sive, qui capiti galeam imposuit, proelium ingressus. Id enim fiebat ex more, ut milites, quemadmodum res oculis subiicitur in Columna Traiana, galeam ante pugnam ad humerum dextrum appensam gererent, eaque caput obtegerent tum demum, quum proelium inciperet. Hirt. de B. Afric. 12. »Caesar — quum procul hostis conspici posset, milites in campo iubet *galeari*, et ad pugnam parari.« Vide parum recte hac de re dubitantem Fabrettum ad Columm. Trai. p. 213. Porro alterum *ante tubas*, scili-

cet inflatas, non modo undique est tutum a quavis dubitatione, et adeo loco ac sententiae aptissimum, sed etiam convenientissimum ingenio Iuvenalis, propter illud supra (p. 33.) commemoratum artificium, quo saepissime sumtas a Virgilio loquendi formas, bono cum effectu, in suam rem convertit: cuius usus tanta est ubique per Satiras multitudo exemplorum, ut solis oculis facillime singula notentur. Vide saltem supra huius Satirae v. 61. coll. Virg. Aen. II, 477., Sat. II, 99. et 100. coll. Aen. III, 268. et XII, 94. etc. Nimirum Aeneidi Virgilianae plurimum ista aetas tribuit: cuius quum singuli paene versus Romanis lectoribus promti essent, id commodum accidit et Iuvenali et aliis scriptoribus, unde sibimet ipsi auditorum plausus colligerent. Atque in nostro quidem loco, si minus aperta Virgilii imitatio sit in verbis, *Tecum voluta animo*, certe dubitari non potest, quin illud *ante tubas* Virgilius suppeditarit. Nisi vero, propter hunc ipsum, archetypa scriptura videatur *tubam*, quae reperitur in veteribus aliquot impressis. Aen. XI, 424.

— cur *ante tubam* tremor occupat artus?

atque inde Claudian. Laud. Stilich. I, 192.

*Ante tubam* nobis audax Germania servit.

Sed de hoc loco eiusque recte legendi ratione paulo explicatius scribere placuit, eo sane consilio, ut, quod perverse multi statuunt, ad varium cuiusque vel sensum vel gustum decerni et posse et debere, id magis ad severitatem iudicii stabilemque vim argumentorum revocaretur, et haberentur nunc rationes iuste expositae, quas alii aut assensu confirmarent, aut infirmare refu-

tando possent. Quod genus criticae religionis, si forte fuerint sapientes, qui leve omnino ac minutulum, et vero etiam dignum putent, quod in hominum contemtum adducatur; non repugno: si modo suae ipsorum sapientiae, quam cum humanitate simul et urbanitate speramus coniunctam fore, insuper dare hoc velint, ut molestum sermonem obscuris literis ignoscendum arbitrentur.

---

Iam satis haec. Reliquum est, propter quod scripta ista in publicum proponere necesse erat, ut annuntientur Solemnia Natalitia AVGVSTISSIMI REGIS AC DOMINI NOSTRI INDVLGENTISSIMI, IPSIVSQVE ACADEMIAE RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,


# CHRISTIANI VII.

quippe summa cum veneratione Divinae Providentiae nobis quidem, inter funestissimos per Europam tumultus ac terrores, tristissimamque Germaniae calamitatem, quantum illud fieri in communi perturbatione potest, placide rursus et tranquille celebranda. Celebrabuntur autem, animis ad pietatem requietemque compositis, ipso natali REGIS, die XXIX. huius mensis Ianuarii; habebitur festus Academiae conventus in Auditorio maximo, hora matutina XI.; dicetur Oratio solemnis ab eo, cui hoc orandi munus de more mandatum est, Eloquentiae Professore Ordinario. Itaque hanc, colendae pietati publicae dicatam, panegyrin ut frequentia amplificare ac singulari favore suo adiuvare non dedi-


gnentur, Illustrissimus Comes, Curator Academiae Excellentissimus; reliqui omnes omnium ordinum et honorum tam Hospites quam Incolae, quotquot bene Academiae cupiunt, Amplissimi, Clarissimi; Collegae extra ordinem adscripti Aestumatissimi, Dilectissimi; Ordinum Adiuncti et Doctores, sua quisque laude insignes; denique Vos, Cives, Minervae sacris operantes, Carissimi, ut Ipsi Solemnibus interesse bonaque nobiscum verba precari velitis, nostrum est, qui lubenter hoc officio fungimur, pronuntiare, optare, rogare.

P. P. Kiliae, in Academia Regia, a. d. XXVI. Ianuarii, MDCCCVI.

---






Princeton University Library
32101 073842724